DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
DE

CHLOROSI,

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI ET MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
Doctoris Medicinae et Chirurgiae Laurea,
RITE OBTINENDA
in celeberrima
ACADEMIA JOSEPHINA
PUBLICAE DISQUISITIONI
SUBMITTIT

Joannes Lengsfeld,
Moravus Magnovürbensis.

In theses adnexas disputabitur in Aedibus Academiae Josephinae
die mensis Octobris 1838.

VINDOBONAE.
TYPIS CAROLI UEBERREUTER.

Synonima.

Chlorosis a χλορος pallide viridis, varia sub denominatione olim occurrebat uti: morbus virgineus, pallidus, albus; febris alba et virginum obstructiones Mercati; morbus virgineus et febris alba Roderici; febris amatoria Langii; icterus albus Ettmülleri, Cachexia Plateri de discoloratione; cachexia virginea. Germ. Bleichsucht, Jungfernkrankheit; das weisse Fieber der Frauenzimmer, die weisse Gelbsucht, Jungferfieber, Liebesfieber; die Missfarbe, Liebesfarbe. Gall. chlorose, pales couleurs; la pale maladie. Ital. pallido colore. Angl. Green sikness.

Definitio.

Chlorosis et cachexiae species sexui sequiori propria et quidem tam puellas, circa aut adhuc ante pubertatis tempus, quam nuptas juniores viduas infestans, quae colore pallido fere lacteo, vel flavicante, vel ex flavo virente, macie sine vel cum leucophlegmatia, debilitate universali, imprimis musculorum eminente, palpitationibus cordis, catameniorum citra graviditatem defectu, vel et nimia parcitate, ac vices agente blenorrhoea, et saepe rerum non esculentarum desiderio insignitur.

Morbi antiquitas.

Veteres hunc morbum noverunt Hippocrates Aetius aliique; verum chlorosim non habuerunt pro morbo quodam principali et primario, sed pro alius cu-

jusdam morbi symptomate, pro effectu quippe menstruorum anomalorum. Accuratius legitur seculo XVI. a J. Langio descriptus.

Symptomata.

Incipit morbus cum delassatione, cita defatigatione sub laboribus etiam facilioribus, cum sensu gravedinis per totum corpus, praecipue in extremitatibus inferioribus, anorexia, mensium anomalia, palpitatione cordis sub scalarum ascensu, oscitatione, solitudinis amore, tristitia, sensibilitate, et consuetim stimuli sexualis absentia et oblectationum fastidio.

Color cutis tenerae pallidus est, huic morbo proprius, partim a defectu cruoris in vasis systematis cutanei, partim ab accumulatione muci flavi in recte Malpighii derivandus, alias albus observatur, albo flavus, albo viridis, luridus, imo vere cadaverosus. Sed non solum cutis crassior hanc refert coloris mutationem, sed etiam labia, gingivae et lingua palorem refferunt; albuginea bulbi sordida quasi adparet, et oculi uti in decrepitis esse solent, absque omni vigore observantur, (icterus albus). Ob accumulationem seri, aut lymphae flavo albae in textu celluloso et in recte Malpighii, corpus quasi inflatum et tumidum adparet, et non deficiunt exempla oedematum palpebrarum, buccarum et pedum. Calor cutis normali inferior est, cutis mollis, nunc transpirans, nunc viscida, nunc sicca invenitur, pulsus alias retardatur, ita ut non ultra 60 — 80 ictus excedat, alias vero usque ad 130 — 140 ictuum numerum intra minutum accelleretur, semper vero parvus, debilis et facile comprimendus; febricula cum lassitudine artuum saepe observatur, estque accidentalis et dependet ab erethismo, praesertim vero a systematis circulatorii irritabilitate, motu et animi pathematibus saepe augetur. Palpitatio cordis essentiale sistit chloroseos symptoma, ab initio usque ad finem perdurans,

quod morbo provectiore ad eum ascendit gradum, ut non solum sub defatigatione majori, v. g. sub ascensu scalarum etc., sedet sub minimo corporis et animi motu, imo sub quiete, non solum ab aegra sed et ab adstantibus oculis percipiatur. Observatur in nonnullis nisus organismi viis consuetis sanguinem evacuandi, sic vasis haemorrhoidalibus, vomitu cruento emittitur sanguinis, qui quacunque via in lucem prodiens praevalentem seri et imminutam cruoris refert quantitatem. Respiratio est citata et aegra per omnem causam uti sunt: conamen in lecto sese erigendi aut reponendi, animi nimii motus, corporis exercitationes etc., sanguinis per pulmones transitum acceleratum valde molestantem imo lipothymiam patitur. Apetitus nunc imminutus, nunc adauctus, nunc in res minus convenientes, imo nauseosas non digestibiles dirigitur, sic appetunt nicem, glaciem, cretam, gypsum, terram, sabulum, carbones, ceram, cineres, fructus immaturos, plantas crudas, araneas, scarabeos etc. Lingua muco albo obtecta, sapor fatuus, acidus, amarus, ructus acidi, soda, pyrosis, nausea, vomituritiones et ipse vomitus, qui praecipue sub acido primarum viarum, statu pituitoso, helminthiasi et cardialgia obtinet. Ad ventriculum oppressio, abdomen inflatum, tumidum, in singulis plagis aut ubique resonans; aegra borborigmis, doloribus colicis et flatulentia molestatur. Alvus hinc inde obstipa, aut tarda cum faecibus mucosis, aquosis, nonnunquam justo largior, aegram valde exhauriens; nec desunt casus ubi simul cum faecibus vermes secedunt. — Urina, quae nunc majori nunc minori copia excernitur, modo pallida cum muco largo, brevi hypostasim formante, modo quidquam tincta observatur.

Fluxus menstruus in chloroticis variis subjectus est anomaliis; hic enim vel ante tempus pubertatis comparet, vel justo serius prorumpit; qui antea normaliter fluebat, statuto tempore non redit, vel praesens subito interrum-

pitur; alias vel justo largior est, vel etiam contrarium obtinet; nunc quoad qualitatem multum variat, et sanguinis loco mucus puriformis profluit. Etiamsi sint scriptores, qui casus observasse adfirmant, ubi menses in chloroticis regulariter fluxerunt; tamen merito dubitare licet, metamorphosi universaliter turbata essentiale hoc pubertatis phaenomenon ad normam perstare. Sed credere noli cum amenorrhoea emansionis, chlorosim semper in nexu incedere.

Adest praeterea; cephalaea, vertigo, caligo, somnolentia, somnus saepius inquietus, somniis tereficis interruptus; aegrae semper fere tristes sunt et timidae, desiderium et aversio vehemens est, pronitas in animi adfectus et pathemata, uti sunt, amor, zelotypia odium etc. stimulus sexualis aut deest aut adeo immodicus observatur, ut nymphomaniae proxime accedat. Aegrae omnem musculorum motum sollicite fugiunt, quod vero ex peculiari systematis muscularis flacciditate e debilitate derivandum est, quum nonnunquam nudiocrem motum magna sequatur defatigatio, tremor artuum, imo tendinum subsultus. Peculiare tamen est, quod voluntas firma multum valeat in superanda hac musculorum inertia, nam non desunt exempla ubi aegra sat firmos et diutius continuatos musculorum instituit motus, quin molestiae ullae inde ortae fuissent.

Habitus chloroticus tenerior est, musculi laxi, mammae et genitalia, reliquo corpore jam explicato nondum evoluta, aut vice versa. Praeterea variae adsunt anomaliae in organis sexui dicatis, quae in figura alterata, in magnitudine vitiata, in situ et nexu perverso consistunt.

Natura morbi.

Essentia chlorosis quaerenda est in sanguificatione imperfecta cum cruoris penuria indeque proficiscente imperfecta et retardata totius corporis evolutione, in se ipso

necdum sufficienter et ita consolidati, ut vires notabiles et materiam organicam partibus sexualibus efformandis earumque functionibus sustinendis necessarias impendere valeret. Genitalium autem functionumque eorum evolutio vel 1) respectu totius organismi praemature sollicitata est; vel 2) organismo ad gradum convenientem necdum perfecto, aetate consueta adhuc deest; vel 3) vix manifestata per potentias nocentes sistitur intercipitur. Ex his genesis chlorosis primariae et secundariae suam nanciscitur explicationem. Altera morbi primarii vestigia et effectus non raro adhuc adsociatos secumfert.

A chlorosi differunt adfectiones morbosae in quibus menstrua vel obstaculis variis in vagina, atresia, hymene imperforato etc. retinentur, vel fluentia refrigerio, animi adfectionibus validis etc. supprimuntur, aut multo parciora redduntur. Illa enim utut cachexiam habere possint sequelam, non tamen hac ipsa stipantur; nec singula, qualia cachexia chloroticae competunt, nec pura, verum (ut pote chlorosis secundariae) morbi primarii phaenomenis mixta, ostendunt. His in casibus diagnosis non semper facilis, imo, ubi graviditatis recentis suspicio viget, quandoque difficillima est. Quum chlorosis ineunte pubertatis periodo feminas corripiat, vulgaris quondam erat medicorum opinio, proximam hujus morbi causam in impedito et suppresso mensium fluxu solummodo consistere; at ex hucusque dictis facile intelligitur, hanc suppressionem mensium jam esse morbum a sua causa productum, proinde chlorosim esse coëfectum illius suppressionis; nam aliae feminae catamenia habent et tamen chlorosi laborant, imo puellae 8—9 annorum infestantur, neque muliebribus partum enixis, imo nec vetulis parcit ille morbus.

Decursus morbi et exitus.

Chlorosis lente decurrere solet et absque febri. Ingravescenti jam associantur mala nervosa acuta vel chro-

nica, uti: febris nervosa, spasmi, chorea St. Viti, epilepsia, melancholia, mania, jam impetigines pertinaces, oedemata pedum, hydrops et vel maxime hydrothorax et hydrocardia; favente rerum positione scorbutus; jam tussis initio sicca, admodum molesta, postea cum sputis mucosis largis, tandem febris lenta depascens suis cum satellitibus et tussis transitu in phtisim pulmonalem pituitosam tandem ulcerosam.

Momenta causalia disponentia.

Quod dispositionem ad chlorosim attinet, haec in proprietatibus corporis feminei et habitu, in temperamento et vivendi ratione radicatur. Quoad proprietates corporis feminei, praecipue hic reproductio, cujus quasi fructum periodus menstrua constituit, consideratione digna est; haec enim in feminis pubertatis tempore, in organa sexui dicata convertitur, quo simul haec organa ad grave illud officium, ad gestandas scilicet et nutriendas proles, praeparantur. Ut magna illa sanguinis copia; quae hac ratione in evolvenda, ac ad munus suum praeparanda organa sexualia feminea impenditur, brevissime restituatur, majori utique opus reproductionis energia. Sed quo altior est reproductionis gradus, eo facilius a norma aberrat, et ex hac aberratione, tempore evolutionis, magna illa morborum coacerva, quae feminas circa pubertatis tempus infestare solet, originem petit. Sub ejusmodi circumstantiis in puellis aut reliquus organismus, aut organa sexualia perfectius evolvuntur, aut alterutrum in evolutione retinetur, vel vero utraque aut praemature, aut justo serius ad maturitatem perducuntur. Ejusmodi puellae ad chlorosim praecipue dispositae sunt. Habitus corporis tener, laxus et mollis, phtisicus, scrophulosus, nervosus, rhachiticus ad chlorosim disponit. Praeterea puellae morbis debilitatae, male nutritae, statu pituitoso et helminthiasi laborantes, hujusce morbi insidiis vix evadunt.

Temperamentum sanguinem, phlegmaticum et melancholicum quoque disponunt ad chlorosim.

Quoad aetatem, puellae anno 13 — 20 chlorosi laborant, ast et hic dantur exceptiones, cum in diversis terrae regionibus, cum vario climate, vitae genere et conditione, cultura etc. vario tempore pubertas perficiatur. Sic in Zonis frigidis puellae circa 15 — 17 in Zonis temperatis circa 13 — 15, in Zonis torridis circa 8 — 11 annum puberes observantur. Judeae in climate nostro etiam anno 12 menstrua experiuntur.

Vitae conditionem respicientes, illas prae aliis chlorosi laborantes observamus puellas, quae nobili de stemate natae, delicatius educatae, in luxuria et abundantia juveniles vivunt annos, quae crebro in pathemata abripiuntur deprimentia, quae mentis facultates prae corporis praemature excolunt, quae vitam agunt sedentariam, uti marchandes des modes, textrices, netrices, lotrices etc.

Causae occasionales.

Causae, quae in organismo ita disposito chlorosim producere valent, in duas dividi possunt classes; quarum prima potentias continet nocentes, quae primarie in reliquum organismum agentes turbas, quae sub chloroseos nomine veniunt post se trahunt; altera eas, quae in stimulum sexualem directe agunt.

Ad classem primam nummerantur sequentia: defectus electricitatis in athmosphaera et defectus lucis, aër humido frigidus, aut humido calidus, impurus, vaporibus, effluviis, diversis miasmatibus inquinatus, quali aëris conditioni minor oxygenii quantitas miscetur, ut igitur hujus elementi vivificantis defectu, sanguificatio justa corruat, sanguisque frigidus lymphaticus maneat; ob enummeratas hasce aëris conditiones chlorosis quibusdam in locis endemice observatur, quin praetereundum sit,

propriam in hisce locis vivendi rationem ad generandum morbum conferre, praeterae defectus ventorum, tempus vernale et autumnale, aquae stagnantes aut plane deficientes; urbes magnae, altis muris cinctae, balneorum calidorum abusus; habitatio humida sordida, defectus motus muscularis.

Victus parcus varia ratione depravatus, et quidem e regno animali carnes pingues et tenaces, in resolutionem pronae, abusus carnium animalium juvenum morbis adfectorum, uti abusus carnis vitulinae, avium domesticarum. Victus denique mere vegetabilis, qui tamen exceptionem admittit. etenim plures sunt regiones, ubi rustici praeter solanum tuberosum et panem, qui et saepissime deficit, plane nihil ad sumunt et tamen sanitate vix interrupta et virium gaudent rabore, et inter feminas rara occurrunt chloroseos exempla. Nocet vero panis aut nimis diu, aut addita potassa fermentatus, e farina corrupta paratus, cibi farinacei magna pinguedinis quantitate conditi, dein vegetabilia in acidam fermentationem prona, uti pisa, fabae etc. Medicamentorum deinde abusus, quae nimia virium concitatione, humorum nobilium evacuatione, laxitatem et debilitatem inducere valent, et sic organismum in causas morbificas pronum reddunt. Mutatum repente vitae genus puellae rusticanae, ad urbanam mollem et sedentariam vitam traductae, chlorosi saepe afficiuntur. Somnus nimis diu protractus, pervigilium, tristitia, curae, amor ardens, non compensatus, Zelotipia, aliique animi adfectus et pathemata, quibus major ab initio sensilitas et manifesta fractae energiae indicia adducuntur, serius digestio laesa, tardius corporis incrementum, chlorotica tandem adperent symptomata; spasticae pectoris affectiones imo sputa accedunt sanguinis, et non raro depascens febris supervenit.

Teneriores mobilioresque puellae in melancholiam et maniam nonnunquam incidunt. Morbi praeterea varii scrophulae, rhachitis, scorbutus, hydrops, impetigines,

haemorrhagiae uteri, fluxus haemorrhoidalis, sudor excedens, blenorrhoea, tiphus, febris intermittens, supurationes protractae.

Causae quae in organa genitalia stimulumque sexualem directe agunt sequentes sunt: atresia orificii uteri et vaginae, ovariorum et uteri evolutio retenta, aut justo citius ad finem producta; praematura et copiosa menstrua; contrectatio genitalium frequens, onania, coitus tentamina a lascivis muliebribus puellisque ardentius exquisitus chlorosim inducunt et leucorrhoeam comitem habent consortium liberius cum maribus oscula multa, amplexus, contrectatio mammarum, denudatio sui ipsius, aut aliorum, lectus calidus, mollis, cubitus cum sociis, consuetudo prava canes, feles aut alia animalia in lectum accipiendi, ludi et spectacuta lasciva, sermones impuri in praesentia adolescentium, lectio librorum cupiditates invitantium, poenae virgis ad posteriora exsequutae.

Solertiori etiam instituto examine persaepe nullam manifestam causam, quae huic morbo proxime antecesserit, deteget medicus; oportet itaque aliam subesse causam, quae sensus fugit. Si tamen consideramus, chlorosim circa pubertatis annos puellas plerumque infestare; et in hac ipsa aetate corporis in longitudinem incrementum aut praecotius esse, aut etiam tardari, sanguinisque menstrui fluxum instare, haud improbabilis est conjectura, hunc morbum a turbata organisantis naturae actione, quatenus muliebris sinus ab illa efformatur et ab ipsa novi sanguinei stimuli insolentia penderei. Scimus utique, hac vitae periodo singularem in partibus generationi dicatis naturae impetum observari, itaque facile poterit accidere, ut si forte a nativitate, vel ob externas causas debilior sit puellaris corporis compages, veriae nunc in hoc organorum systemate turbae emineant, quae ad chloroticum morbum ducunt; hac in chlorosi, quam celeberr.

Sibold adnatam appellat menstruorum simul anomaliae observantur; chlorosis enim aut fluxui menstruo praecedit et disparet, quam primum hic ad normam recesserit, aut fluxus menstruus absque ulla molestia adparet, quantitate increscit, discolor dein evadit, jungitur cum magna virium delassatione et tandem cum chlorosi ipsa, quae hoc casu neglecta facile in hydropem transit et morte terminatur, aut tandem fluxus menstruus normaliter adparet, mox vero disparet, aut saltem justo parcior redditur, quo in casu praegressis congestionibus ad caput, pectus epistaxi, haemopthisi chlorosis evolvitur.

Prognosis.

Chlorosis levior est plerumque morbus, praecipue si illi ab innitio justo regimine diaetetico et medela occurritur; tunc pica malacia disparent, digestio corrigitur, borigmi et ructus acidi cessant, mucus per alvum et vomitum excernitur, serosae collectiones per urinas et sudorem evacuantur, palpitatio cordis rarior, circulatio normalis fit, fluor albus minuitur ad periodum restringitur, musculorum laxitas et debilitas cum malo cutis habitu sensim disparent; tamen hic morbus infaustum imo et lethalem exitum habere solet. Neglecto enim morbo aut perversa ad hibita medela, inductaque summa laxitate solidorum, serosa ad diversa corporis cava ruit colluvies, imo inter cutem colligitur. Respiratio sepe insignitur laeditur, aegrotae difficulter spirant, sanguinem sputant, pulmones pus coquunt, sequitur febricula, macies, tandem inopinate mors. Abdominis quoque multifariae accedunt turbae, haemorrhois, glandularum meseraicarum obstructiones. In aliis abit chlorosis in atrophiam, tum ob induratas glandulas meseraicas, tum ob defectum succi nutricii; nil enim adpetunt, aut talia, quae digerere non possunt, hinc digestio laeditur et aegrae

emaciantur. Frequentius quoque juncta spasmorum variarum partium symptomata morbum reddunt deteriorem. Partes genitales graviter afficiuntur, et fluor muci copiosus foetidissimus, ad omnia remedia rebellis ex pudendis stillat: indeque pedisequa sterilitas. In illis in quibus nervi peculiariter adfecti sunt remanent symptomata nervosa, variaeque neuroses: vertigo, palpitatio cordis, spasmi; convulsiones, hysterismus, chorea St. Viti, imo et epilepsia; aut ipsa mens turbatur inde melancholia mania, furor uterinus, chlorosim non raro sequuntur. Oportet itaque morbi formas perspicere et causas indagare, ut de morbi gravitate periculoque moneamur. Si enim simplicior est symptomatum chloroticorum concursus, eaque sors causarum, ut haec facile possint a medico expugnari, nullaque vitia organica adsint, secunda valetudinis spes est; in contrariis casibus infausta etiam est prognosis. Deterius autem malum est, si non a manifesta causa, sed potius a turbata sexualium organorum evolutione, in quod vitium vix ullum est medici imperium, chlorosis originem traxit; si malum inveteratum est, cum aliis morbis, cum scorbuto, scrophulis, impetiginibus pertinacibus, profluviis mucosis, aut haemorrhagia conjunctum, si stricturae vel extensiones vasorum minorum vel aneurismata majorum ipsiusque cordis; si uteri et ovariorum scirrhus; si hydrops, corporis macies, febris hectica, aut pulmonum pthisis adest. Nonnunquam a chlorosi per omnem fere vitam arthritidis symptomata aegrotas obscurius vexant, serius candem anthralgia evolvitur.

Sectio cadaveris.

Post mortem, anatomica sectione cadaveris instituta invenitur in cavitate thoracis magna copia seri, limphae, aut pulmones suppuratione destructi; in illis, quae frequentem cordis palpitationem passae sunt, cor grande, ac sanguine coagulato turgidum, valvulae deformes, fere

ossificatae. Abdominis in cavitate viscera, praecipue hepar, pallida, glandulae meseraice induratae, ventriculus vacuus contractus; vagina valde angusta, uterusque parvus, quandoque pars vaginae et prominentis in eandem colli uteri cartilaginosa; ovarium totum aut pro parte enormi magnitudine, plerumque vero ambo exigua et quasi corrugata.

Therapia.

Ad morbi sanationem non uno auxiliorum genere pervenimus; universim haec solummodo moneri possunt, ut ante omnia potentiae nocentes, quae morbum produxerunt et adhuc sustinent, amoveantur, ideoque peculiaris habeatur respectus circa regimen et diaetam; ut morbus secundum characterem prouti erethismo aut torpori jungitur, tractetur; ut praeterea ad digestionem, in hoc morbo peculiariter laesam, ad menstrua si fluunt, ne supprimantur, ad symptomata urgentia et complicationes, quam maxime respectum habeat medicus; tandem vero convalescentiam rite promoveat.

In therapia instituenda prae aliis intendere debemus, ut potentiae nocentes, quae morbum produxerunt, et adhuc sustinent amoveantur, ideoque peculiaris est habendus respectus circa regimen et diaetam.

Seligat aegra habitaculum amplum lucidum, saepius per diem ventilatum, instituat motum in aëre libero, sed nequaquam ad defatigationem usque, potius dum se minime delassatam sentit, consideat et maneat quieta; hoc neglecto morbus utique exasperatur. Habitatio ruri, urbanae praeferrenda est, nam no n desunt casus, ubi chlorosis omni therapiae pertinaciter resistens, instituto itinere et babitatione mutata, sanata ficerit. Vestimenta seligat aegra, quae neque exaestuant, neque refrigerant. Praeterea saltus non nimis diu protractus, navigatio in flumine optime chloroticis conveniunt. Animus aegrae

sit hilaris, quod per societates selectas, per musicam, per saltum, per narrationem historiarum, assequi hinc inde licet.

Ubi stimulus exualis justo citius excitatus est, omnia sollicite vitanda sunt, quae illum augent, hinc aegra vitet sermones ludos, et spectacula lasciva, et seligat occupationes mentis, quibus animus ab omnibus ludibriis removetur, uti est lectio Geographiae, historiae gentium, Botanicae et Zoologiae. Quodsi stimulus sexualis nimius et vix compescendus est, et organismus debita evolutione et robore gaudet, matrimonium jam Hippocrati et nuper Richter et practicis pluribus aliis optimum renudium videtur. Coitus praematurus et frequens vitandus. Quodsi onania chlorosis causam constituit, omnis medici attentio, in pravam hancce consuetudinem convertenda est, quia haec continuata omnem chloroseos therapiam irritam reddit.

Diaetam seligat aegra digestu facilem e regno animali et vegetabile mixtam, quod si atonia adest, cibi digestu faciles aromatibus conditi optime conducunt. Si circulatio est paccata, si congestiones ad caput desunt et obnubilationes, et si stimulus sexualis non excedit, modicus cerevisiae usus aegrae concedatur, in quo omnes consentiunt practici; sed et modicus vini usus illis conducit aegris, quae chlorosi torpida laborant. In chlorosi erethistica optimus erit potus, aqua cum succo citri remixta, emulsio amygdalina et elixirium acidum Halleri cum syrupo amoeno, subintelligitur si nulla adest complicatio usum enumeratorum interdicens. Praecipue caveant chloroticae a potulentis calidis theae coffeo; quia vero praesertim puellae urbanae his potibus adeo adsuetae sunt, consultum erit, coffeam cum lacte et pane non butyrato modica quantitate concedere. In chlorosi atonica chaud eau, in erethistica serum lactis, optimum praebent gentaculum. Haec non raro sufficiunt in mitioribus morbi gradibus;

si vero malum neglectum diutius duravit, morbus directe adgrediendus est.

Si magna adest sensibilitas et irritabilitas, si observatur pulsus acceleratus, plenus, si aegra simul molestatur congestionibus, epistaxi, palpitatione cordis vehementi, menstrua, si adsunt larga, aegram exhaurientia, indicatio oritur turbas hasce compescendi; quem in finem elixirium acidum Halleri, Mynsichtii, acida mineralia cum saccharo aut syrupo grato propinanda erunt. Simul amaricantia exhibeantur, quo digestio, consuetim turbata, corrigitur, chylificatio et sanguificatio adjuvatur. Quadrant hinc: Centaur. minus, Trifol. fibr., Gent. rubr. Colombo, Quassia Simaruba etc. His remediis chlorosis erethistica saepissimae cedit.

Si vero chlorosim tractandam habemus in individuis languidis, leucophlegmaticis, tunc adhibenda erunt roborantia amara, stimulantia, china et martialia. Quia vero digestionis organorum et hic respectus habendus est, e roborantium ordine ea praemittenda erunt, quae facilius digestionis viribus cedunt, et hanc simul pro china et martialibus praeparant. Hinc ab amaris ad amaro aromatica transeundum erit, uti: Absinth. Abrot, Millefol. Tanacet. Mentham piper., crisp. Fol. et Flor. cortic. Aurant. Chamomill. Foenicul. etc. Serius in usum trahenda est Valeriana silv. Angelica, Serpart. Acorus etc. Deinde si ex his nulla gravamina observantur china exhibeatur, ubi iterum a mittissimis praeparatis sensim ad chinam in substantia transeundum est. Similibus sub circumstantiis etiam ferrum adhibere licet.

Summum enim in sananda chlorosi encomium martialia remedia tulere, ut igitur de his remediis breviter agere opere praetium sit; nam et vulgatissimus est horum remediorum usus, et multae occurunt cautelae, a medico in praescribendis martialibus observandae. Ferrum et liquor illi infusus primo a Tralliano interne ex-

hibitum fuisse legitur. Neglectum remedium postea non solum ad grana aliquot, sed ad scrupulum, imo ad drachmam porrigebatur narrante Sennerto. Tandem Sydenhamus ferrum ad grana octo et scrupulum dimidium dedit.

Ferrum in primis viis justa dosi effectum exerit roborantem; secretiones, quae ex laxitate et debilitate eduntur fluidiores, reddit consistentiores, chimificationem et chylificationem adjuvat, chylusque altius elaboratus vasis sorbentibus praebetur, haec ipsa roborantur et ad opus suum impelluntur, imo et obstructiones ex atonia praesentes discutit, pejores vero illas reddit, quae rigiditati fibrarum sanguinique inflammatorio, concretisque variis ac pseudomorphosibus non amplius solvendis debentur. Majori dosi, aut ventriculo debili ingestum magnas excitat turbas. — In sanguinem susceptum huncce altius vivificat anteriosamque excolit indolem, calorem turgoremque animalem auget, secretionesque ex tenuitate humorum nimias sistit. Nocet vero, licet indicatem sit per morbum, biliosis, nidorosa cruditate, alvi obstipatione laborantibus; ventriculo sensiliore praeditis; ulceratis, cancrosis, victu alcalescenti utentibus. Prodest itidem si in acido primarum viarum propinatur solum per se, aut extra hoc cum acido, aut succo quocunque vegetabile junctum exhibeatur, faeces nigrae soluti ferri indicium sunt.

Ut autem ex ferri adhibitione optati prodeant effectus, illius usus sequentibus est submittendus regulis 1) organa digestionis et assimilationis ad suscipiendum subigendumque ferrum praeparentur; 2) quae huic subactioni facilius cedunt ferri praeparata ab initio praeferantur, eaque nonnisi dosi admodum moderata exhibeantur, et in utrumque respectum paulatim procedatur; inter ferri praeparata vero respectu virium ea est differentia, ut quo proprius indoli accedunt metallicae, eo magis etiam omnem ferri effectum exerant, et oxydula stimulo mitiori agant

et digestionem facilius subeant, quam ipsum metallum et ejus oxyda. Sales ad quos acida e plantis repetita concurrunt effectu leniore praestant illis, qui cum acido minerali fiunt; 3) organorum digerentium et assimilantium in ferrum renisus, additis huic aromaticis et amaris sollicitetur 4) nutrimenta principio nutriente sat multum impraegnata, et digestu facilia, moderatum corporis exercitium in aëre libero, sicco puro, modice calido, mentisque alacritatem in auxilium vocemus.

Alvi obstructio contraindicationem non semper sistit, imo haec usu martialium non raro removetur, praecipue si cum cremone tartr. cum sulphure propinatur. Cavendum tamen ne fluxus alvi justo largior sustentetur, quia organa digestionis et vires aegrae debilitantur. Sub cardialgia, tinctura martis pomata cum tinctura Castor. thebaica etc. et amaricante aliquo conjuncta optime conveniunt. Subjectis cachecticis, laxis ferrum in nexu cum china exoptatum praestat effectum, praecipue si tinctura utriusque vinosa exhibetur. Puellis debilibus, ut celeber. Richter suadet aquae martiales propinandae sunt, aquà nempe Driburgensis et Pyrmontana. Excrementa nigra et ructus ova putrida redolentes, effectum optatum a ferratis obtentum fuisse indicant. Sub menstruorum fluxu et ferrum et quodvis aliud roborans seponendum. Sub usu martialium et diaeta et regimen conveniens instituendum est; et adduci hic merentur, quae magnus Hoffman circa martialium usum suadet. »Quoad modum utendi martialibus scire licet: 1) Eorum efficacia per sufficientem corporis motum et exercitationem debet promoveri; 2) cura ad dies decem, quindecim ita continuari, ut tertio vel quarto die lene purgans remedium, ut sunt passulae rhebarbarianae interponetur; 3) quod sufficiens et diluens potus cum exacto vitae victusque regimine simul in usum vocetur.« — Non raro variae adsunt turbae, quae adplicationem remediorum, in chloro-

sim ipsam dirigendorum impediunt. Sic magna nonnunquam materiae mucosae copia in tractu intestinali haeret, quae succi gastrici, parcreatici et bilis qualitatem morbose se mutat; adsunt hinc inde obstructiones glandularum meseraicarum. In hoc casu celebr. Richter interatam emetici adplicationem proponit. Per emeticum enim non solum magna muci tenacis copia evacuatur, sed salutaris illius effectus, etiam per secretionem et resorptionem tractus intestinalis emelioratam, sese manifestat, quod inducitur per stimulum, qui sistemati ganglioso et vasis resorbentibus additur. Si aegra difficilius vomit, hoc nequaquam abhorreat, ut celb. Richter monet, quia hoc semper obtinere solet, praesente magna copia muci tenacis, qua ex causa tartr. emetic. praecipuam hic mereatur laudem. Hoc si adest turgescentia sursum. Si contrarium obtinet, purgans mitius propinandum est. Tali in casu Rheum, Senna, Calomel etc. indicata sunt. Etiam sales neutri mitiores, arcanum duplic. sal amar, sal Glaub. Seignetti etc. locum habent. Evacuatis sordibus, amara leniora propinanda cum sale amoniaco, et sensim cum flor salis amon. martial. continuanda sunt.

Quodsi longius duravit malum, obstructiones, imo indurationes non raro observantur in cavo abdominis, quo in casu calomel, sapo, Gumm. amoniacum, extractum chelidonii etc. medici votis respondent. Si adest acidum primarum viarum una cum sordibus gastricis, sales mitiores, fel tauri inspiss. assa foetida, et qua absorbens magnesia carbon. cum elaeosacch. foenic. aut pulvere semin. foenic. anisi.

Pynosis cum ructibus ranucidis, spirituosis amovetur; ructus putridi, elixiris acido Halleri, Mynsichtii ad guttas 10 — 30 consopiuntur.

Pica in chloroticis aut ab acido primarum viarum aut a muco accummulato, aut ab acri aliquo in ventriculo sustinetur. Pica ab acido et muco exorta silebit, causis

remotis, quem in finem medicamenta adhibenda, quae superius in hoc casu indicata, enumeravimus. Acre involvendum est, quare pacantia oleosa mucilaginosa in usum trahenda sunt. Si his adhibitis malum non removetur, organis digestionis evacuatis, celb. Richter Ipecacuanham refracta dosi adhibere solet.

Praecipua attentione dignus est fluxus menstruus in chloroticis. Veteres medici pellentibus et emenagogis menstrua revocare connabantur, aut illis non adparentibus, sanguinis evacuationem instituebant, imo erant plures, qui modo violenti ad finem propositum pervenire non abhorrebant.

Si vero perpendimus in plurimis chloroseos casibus functiones organicas, chylificationem praecipue et sanguificationem, vitiatas esse, facile intelligitur in tali casu nec pro nutritione universi organismi sufficientem materiae organicae quantitatem produci, et eo minus fluxum menstruum adparere posse. Sub hac rerum positione certe redibit (nisi vitia organica partium genitalium adfuerint) functionibus illis ad normam reductis, quare recentiores medici methodum roborantem unice laudant, et comprobatur salutaris illius effectus quotidiana experientia.

In casu contrario restitutio fluxus menstrui, praecipue sub initio morbi et sub reconvalescentia optata erit, sed et hic remedia mitiora adhibenda sunt, uti pediluvia, semicupia, vapores calidi ad genitalia, frictiones extremitatum inferiorum, regionis hypogastricae; praesentibus congestionibus ad diversas organismi partes, hirudines ad perineum et purgantia leviora.

Inter remedia externa in chlorosi adhibenda praecipuum occupant locum, balnea tepida aquarum fluentium; his praeferrenda sunt balnea aquarum mineralium ferrum et acidum carbon. continentium, uti: aquae Pyrmontanae Driburgenses, Egeranae, thermarum Carolinarum etc. Quadrant praeterea frictiones in balneo cum manu

aut panno laneo institutae; linimenta aromatica, volatilia in regionem hypogastricam, praecipue si spastiscae adsunt affectiones. Pertinent huc clysmata, quae pro varia medici attentione varia sunt. In statu subparalitico et spastico assâ foetida optimum praestat effectum.

Sub reconvalescentia in regimine, diaeta therapiaque hucusque exposita, tam diu continuandum erit, donec digestio penitus restituta fuerit, et corpus ad numera sua praestanda sufficientibus gaudet viribus.

Theses defendendae.

I.

Si chloroseos curam martialibus claudis, finis coronat opus.

II.

Crescente cultura crescit morborum numerus.

III.

Fumigatio herbae nicotianae modica ac prudens non nocet.

IV.

In morborum tractamine regimen diaeteticum plus valet, quam remedia pharmaceutica.

V.

Cunctari medicus nunquam videatur.

VI.

Synchondrotomia sine damno ars obstetricia carere potest.

VII.

Insitio variolae vaccinae non tantum non damnanda, sed potius summum generis humani beneficium habenda.

VIII.

In inflammatione viscerum abdominalium hirudines non cuti, organo inflammato proximae, sed potius ano applicandae.

IX.

Mors vera non datur in rerum natura.

X.

Non existit morbus vere intermittens.

XI.

Nullum existit diagnosticum amauroseos signum.

XII.

Vena major dissecta ligaturam utriusque finis expostulat.

XIII.

Compressio vasorum plana in aneurismatibus constrictioni praeferenda.

XIV.

Euexia fallax sanitatis indicium.

XV.

Sicuti diarrhoea purgantibus, vomitus emeticis, sic saepe debilitas debilitantibus tollitur.

XVI.

Medicus rationalis et remedia superstitiosa non omnimodo respuit.

XVII.

Theses paradoxae in nostra aeque ac in quavis alia scientia tantum juvant, quantum nocent.